

LXIX.

Anno 1275. die 4. nonas Decembris.

Ladislaus IV. Rex populos Stephani filii Michaelis, in Banatu Slavoniae habitantes, a marturinis et a zaluzina, Slavoniae Bano pendenda, immunes declarat.

Ladislaus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Prouida regum circumspectio suorum subditorum, sibi fideliter famulantium, obsequia debet prospicere oculis pietatis, et occurrere eisdem largiillis manibus, atque donatiuis, vt eo exemplo alii suis naturalibus Dominis addiscant eo diligencius famulari. Proinde ad vniuersorum, tam presencium, quam posterorum noticiam harum serie uolumus peruenire: Quod attendentes fidelitates et meritoria obsequia, et obsequiosa merita Stephani, filii Michaelis... nostri, que idem Domino Stephano, patri nostro karissimo, clare recordacionis, et nobis ac regno Hungarie in diuersis expeditionibus, cum omni feruore fidelitatis exhibuit, et impendit; volentes eidem aliquali remuneracionis gracia in recompensacionem suorum seruitiorum respondere, licet maiora debuisset promereri; tamen ex munificentia regia statuimus, et concessimus, vt populi eiusdem Stephani, in banatu Sclauonie constituti, collectam marturinarum et victualium, que Zolusma (zaluzina) nuncupatur, bano Sclauonie pro tempore constituto nullatenus soluere teneantur; sed ab huiusmodi collecta excepti penitus et exempti habeantur; sed ijdem populi eidem Stephano, Domino suo, prout eidem videbitur expedire, in eadem collecta debeant respondere. Vt autem huiusmodi gracia per nos eidem facta et concessa, robur obtineat perpetue firmitatis, et ne processu temporum per quempiam possit vel debeat in irritum reuocari, aut aliquatenus retractari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri Magistri Benedicti, sancte Strigoniensis Ecclesie electi, eiusdem loci Comitis perpetui, Prepositi Budensis, Aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini MCCLXXV. IV. nonas Decembris, Indictione tertia, regni autem nostri anno quarto. Venerabilibus Patribus, Stephano Colocensi et Joanne Spalatensi Archiepiscopis; Philippo Vacienti, aule Domine Regine, Consortis nostre karissime, Cancellario; Job Quinqueecclesiensi, Lodomerio Varadiensi, Thymoteo Zagradiensi, Dionysio Jauriensi, Petro Transilvano, Gregorio Chanadiensi, Episcopis, et Petro electo et confirmato Wesprimiensi, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Petro Palatino, Comite Supruniensi, et Iudice Cumanorum; Thoma Bano totius Sclauonie, Wgrino Woywoda Transilvano, Comite de Zonuk; Matheo, Magistro Tauarnicorum nostrorum; Stephano, Magistro Dapiferorum nostrorum, Comite Borsiensi; Petro Ma-